



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicorvm, 1607

Anonymvs Monachvs Et Martyr memorabilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

titur verò & contentio inter patres Octodecimanos, & Scitiotas, vtrisque secum habere sacras Andronici reliquias, annitentibus, ægré que tandem Cœnobiarcha illos adduxit, vti permitteret Andronicum cum comilitate Athanasia (& consorte) sua sepeliri. Sic ergo pacati vtrique, Deum omnium cōditorem laudibus celebrarunt.

ANNOTATIONES.

Illustris planè historia, nec scio an par illi in omni reperiatur antiquitate. Quod de Daniele abbate refertur, veluti magistro Andronici & Athanasia, haud scio, an in illum Daniele stylyten conueniat (cui dies vndecimus Decembris sacer) a S. Damasceno, Nicephoro, Cedreno, Cyro ex consule, Metaphraste, & alijs celebratum. Diuersum hunc ab illo sentio. Et fortè est ille omnium etiam literis decantatus, qui apud Cassianum in collationibus disputat.

Huius Athanasia supra meminimus in vita S. Apollinaris.

Laudatur alius Andronicus cum Drusiana coniuge in actis S. Ioannis Apostoli, quæ Abdias composuisse creditur, & extant in historia Christiana Patrum. Sed operæ non fuit illa huc transcribere.

ANONYMVS MONACHVS ET MARTYR memorabilis.

Monachus quispiam in Scetana solitudine

D

dine

dine aliquandiu Spiritui sancto parebat; hic inuidia dæmonis, virtutis inimici ab obedientia defectus, absque causâ verâ iustâque se ferulæ senioris subduxit; & pœnam epitimij, sibi ob contumaciam irrogatam contempsit. Alexandriam verò cum venisset, à magistratu comprehensus, & veste religiosa exutus, cogebatur Dijs sacrificare: recusantem boijs cecidit primum grauiter, deinde cum nullâ vi adduci posset, vt immolaret, capite puniri iussit, quem apparitores arreptû capite multarunt, corpore extra urbem canibus obiecto. Sed hoc Christi amantes quidam Christiani postera nocte vnguentis delibutum sindoneq; inuolutum in sarcophago reposuerunt, & velut Martyrem in Sacratio templi collocarunt. Dum ergo sacrosantum perageretur sacrificij mysterium, * sacro præcone proclamante illud solenne, *Catechumeni egrediantur, Catechumeni procedant:* Omnibus spectantibus martyris tumba, sua sponte, sine cuiusquam manu sublata, * secessit in atrium, vbi, donec res diuina absolueretur, permansit, dein rursus in locum suum, vbi collocata fuerat, redijt. Quo facto attoniti fuere omnes, qui rem spectabant. Quod cum ex sapientioribus quidam intellexisset, rogauit Deum huius facti causam, quam & mox accepit. Nam
Angelus

* *ἰεροῦ γενῆ*
Diaconus.

* *Side no-*
tas.

ἰουδαίου
ἔθ.

Angelus assistens, quid, inquit, ad illum, super hoc facto percelleris? Nonne acceperunt Apostoli à Deo potestatem soluendi & ligandi, & quicumque Apostolos discipuli sunt secuti? Hic ergo frater, qui Christi causa sanguinem suum profudit, & tempore sacrificij in sacrario seu altari quiescere non finitur, ab angelo vsque ad atrium exactus, commilitoni tuo, cuius erat in religione discipulus non obsecutus, anathemati merito ab illo subiectus fuerat. Hinc vincetus pellitur, vt qui non solutus ab eo discesserit. Vt martyr ergo laureolam accepit, vt anathemati obnoxius, non permittitur tempore sacrificij intra sacrarium quiescere, quoad illum, qui ligauit, soluat. Hoc cum religiosus presbyter intellexisset, scipione accepto profectus est ad Anachoretam, qui audita à presbytero tota facti causa, cum eo descendit Alexandriam, ingressique templum vbi martyris corpus depositum erat, tumbam aperuerunt, vinculoque anathematis expedierunt, atque inde expositum inter sanctos celebrandum collocarunt. Hinc sacro Missæ celebrato mysterio, immotus perstitit martyr in altari, hodieque persistit.

ANNOTATIONES.

AB anathematis nexu mortuos expeditos etiam in aliorum Diuorum historijs reperimus.

lib. 14. c. 43

Ac primum similitudinem quandam eius rei legimus in D. Chrysofomi gestis, apud Nicephorū de Eudoxia Arcadij Imperatoris coniuge Augusta, cuius impulsu præter ius fas, D. Chrysofomus in exilium Comanas erat deportatus, ibidemque extinctus. Etenim populi assiduis flagitationibus, reductis ingenti miraculo reliquijs, Imperator Theodosius iunior suppliciter Diuo factus, pro parentibus suis deprecabatur. Nam tumba matris totos quinque supra triginta annos assiduo motu tremebat. Rem ita narrat Nicephorus. *Ibi Imperator sacro tumultu clamide tecto, & fronte, atque oculis & vna impositis, communem supplicem precationem pro parentibus fecit. (dudum enim illi mortui fuerant) in Pupillari etate eum tenerum adhuc relinquentes. Seorsum vero pro matre quoque precatus est, & tumuli eius motus atque strepitus consisteret: triginta enim & quinque annos iam is quatiebatur, quo tempore scilicet, & ipsa Ecclesiam concutiebatur. Nec ille id non exoravit: Confestim namque & vna eius constitit.* Hæc Nicephorus: ex quo idem Baronius annali 5. A. C. 438. Clarius adhuc memoratur à Diuo Gregorio Magno, secundo Dialogo de puero post sepulturam a terra proiecto. *Quadam inquit die, dum quidam eius (Benedicti) puerulus monachus parentes suos, soltra quam deberet, diligeret, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de monasterio exisset. eod. die mox & ad eos peruenit, defunctus est. Cumq; esset sepultus, die altero proiectum foras corpus eius repertum est, & rursus tradere sepultura curauerunt. Sed sequenti die iterum proiectum exterius, atque inhumatum, sicut prius inuenerunt. Tunc concite ad Benedicti patris vestigia currentes eum magno fletu petierunt, & ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus & vir Dei, manu sua protinus communionem dominici corporis dedit, dicens: Ite, atq; hæc*

hoc

ANNOTATIONES. AD 53

hoc dominicum corpus super pectus eius, cum magna reuerentia ponite, & sic sepultura eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec ultra proiecit. Est apud eundem in S. Benedicti gestis de religiosis feminis procatioris linguæ vitio laborantibus, anathemate percussis, & post mortem absolutis. Ex manuscripto quoque Codice inferioris Althæ, de S. Gothardo Hildeshaimensi Episcopo decerpsi, quod huc facit. Contumaces quosdam & perduelles habebat inter subiectos pontifex, quos sæpe admonitos tandem anathemate ictos sacrificij tempore templo excedere iussit, qui tamen contempto præsulis sui imperio restitabant, cum ecce tibi ex dudum sepultis, quos anathematis vincula adhuc retinebant, de tumulis surgunt, templumque egrediuntur, quos pudore suffusi, rebelles quoque viui sequuntur. Gothardus acri adhortatione ad contumaces, quibus ipsos mortuos obsequentiores haberet, adhibita, defunctos censurâ soluit, qui cervicibus pontifici suo inclinatis, ad suum quisque tumultum rediere. Paulò ante nostrum sæculum, horrificum quid in hoc genere accidisse narrat Maffeus noster Indicar. histor. lib. 5 his verbis: *Per eandem dies, Vex ex intemperie cæli, Vex ex insalubrium ciborum succo atrox morbus naualem turbam inuasit. Vulgo inter lusum aut quotidiana ministeria repente expirabant. In iis miles vnus in mare proiectus, ingentem terrorem omnibus attulit: noctu quippe, infra sentinam, pulsus frequentes exaudiri capti, quem ad strepitum cum arrepta scapha vigiles descendissent, simplex carina sub ipso gubernaculo defuncti militis corpus offendunt. scilicet cunctis pilis inhorruit. Vbi ex pauore collegere sese, res ad Nauarchum delata: nec dubium fuit quin cadauer translatum in litus humo contegerent, quo factò, postridie super ipsum*

lib. 2. c. 22.

sepulchrum, rursus in humatus apparuit. Ea re attoniti cuncti, cum apud se causam exquirerent; Franciscus denique incertum ex qua familia monachus, qui concionatoris munere fungebatur; sagaci coniectura suspicatus est hominem aliquo interdicti, vel anathematis vinculo constrictum à vita excessisse. Itaque in terram egressus, sanctissimi viri Benedicti Abbatis exemplo, è pontificia formula conceptis verbis animum demortui rite expiavit, eique veniam à Deo precatus est. Mirum dictu, ab eo mysterio reddi a mortuo pacem; & vaga ossa tandem suo tumulo quiescere. * Apparuit vis illi anathematis non in viuis tantum & mortuis, sed animatibus quoq; & aliis naturis rerum.

* Vincētius
Mainardus in Vita
S. Antonii. Brau-
nius in Vita
sa VVolsta-
ni Episcopi.
Gesta Ord.
Cister. d. 3.
exempl. 51.
52. 53.

Secessit in atrium) *ἡ ἀγορὴ* est in Græco, quæ locum signat, ubi dum sacrificium solenne perageretur, stabant audientes, catechumeni, competentes, hæretici, energumeni. Franciscus Turrianus ad illa verba Apostolicæ Constitutionum lib. 8. c. 12. (*Nemo Catechumenorum, nemo, audientium, nemo infidelium, neque, hæreticorum adsit*) Iubet, inquit, Apostolica Constitutio, ut hac edicat Diaconus, ante consecrationem, statim ut sacerdos manus lauit, cum rem diuinam facit, &c. ubi multa super his verbis disputat Turrianus. Cæterum Missæ sacrificium in 4. diuiditur partes. Prima est ab initio, usque ad offertorium, quæ dici solet Missa Catechumenorum; nam post offertorium à Diacono iuebantur * exire. 2. Ab offertorio usque ad Consecrationem, quæ pars Græcis ἀναφορά Latinis Canon minor appellatur. 3. à Consecratione usque ad Communionem, quæ dicitur Canon maior. 4. à Communionem usque ad finem.

* Fores quoque clauderentur cum exissent, S. Maximi Mystag. c. 15. Ἦσθε μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τῆς εὐαγγελίας, καὶ τὴν ἐκβολὴν τῶν κατηχημένων γινόμενης

γινώσκοντες τῶν θυρῶν τῆς ἀγίας τῆς θεῆς ἐκκλη-
σίας, τήντε τῶν ὑλικῶν δηλοῖ παράδοσιν, καὶ τὴν ἄφρο-
νίαν μετὰ τὸν φοβερὸν ἐκείνου ἀφορισμὸν καὶ τὴν
φοβερωτέραν ψῆφον εἰς τὸν νοτιὸν κόσμον, ἥτοι τὸ
συμφῶνα τῆς χριστῆ τῶν ἀξίαν εἰσοδῶν, καὶ τὴν ἐνταῦθα
ἀποδοχὴν τῆς κατὰ τὴν ἀπάτην ἐνεργείας τελείαν
ἀποδοχὴν.

Epitimij pœna; cuius mētio fit in actis Marty-
ris, est pœna Ecclsiastica, quā præsules & præfecti
sacrorum, & Cænobiarchæ præscribebant subie-
ctis, cum aliquid peccassent. In Concilio Octavo
Occumenico, quod ante biennium vulgauimus,
Act. 2. de Epitimijs hæc scribuntur. *Tum patriarcha
dixit: Præscripta Epitimiorum pœna cunctis lapsis au-
dientibus legatur. Accepta ergo, Stephanus Notarius
legit. Qui carnibus vescuntur, pœna esto, nec carnibus,
caseo, ouo vescatur. Qui aliàs à carnibus abstinent, ab-
stineant ab ouo, caseo, pisce, feria quarta & sexta: ole-
rag, & legumina comedant cum modico oleo & vine.
Ingenua procumbant quotidie quinquagies, & illud
(Domine ignosce mihi) inclament centies, recitentq;
psalmos 6. 37. 50. Hac obseruari volo à nonis Octobri-
bus, & sique ad natalem Domini.*

23 Octob.

I. S. MACARIUS RO-
MANVS,

TRES quidam religiosi senes, Sergius,
Hyginus & Theophylus è S. Asclepij,
seu Aesculapij cænobio, quod in Metopo-
tania Syriæ visitur, conspirarunt in re pia-
pio sine, uti totam viciniam seu solitudinem
obirent. Ergo iter auspicati, alia ex alijs

D 4 mala